

non potest nisi sciat eam; et ideo tenetur confiteri, ut sciat sibi imponendam, et sic impleat loco illius: quia, sicut votum quod impleri non potest, debet mutari in votum possibile, sic et pœnitentia impossibilis debet mutari in possibilem; quod non potest fieri juste et æqualiter, nisi peccata dicantur. Multis tamen videtur quod non tenetur confiteri peccata; quia forte dedit omnia vel partem oblivioni, sicut et pœnitentiam. Nec tenetur ad aliquam pœnitentiam, nisi ad sibi impositam; a qua propter impossibilitatem ex ignorantia excusatur, vel liberatur. Unde, cum homo non teneatur ad confitendum nisi peccata non confessa, oblivionem et negligentiam habet confiteri de necessitate salutis, et nihil aliud. Sed verum est quod, si vult in hac vita sacramentalem pœnitentiam facere pro primis peccatis, debet ea confiteri, ut eam accipiat; si vero ex se, hic vel alibi, facere vult, non tenetur. » — Hæc ille, et bene.

Ex omnibus prædictis apparet mihi quod securior modus est quod, in casu ubi inferior non potest de omnibus absolvere, nec superior vult omnia audire vel ab omnibus absolvere, tunc inferior primo audiat omnia peccata; secundo, sine absolutione remittat eum ad superiorem, ut dicat et confiteatur ei casum retentum; et tertio, superior, audito illo casu, remittat eum ad inferiorem, absolvendum unica absolutione ab omnibus peccatis, sicut omnia eidem confessus fuit. Et sic omnia inconvenientia prædicta cessarent.

Ad argumentum contra questionem (x) patet responsio per prædicta (6).

Et hæc de questione dicta sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XIX.

QUÆSTIO I.

UTRUM QUILIBET SACERDOS POSSIT UTI CLAVE
QUAM HABET, IN QUEMLIBET HOMINEM



INCA decimanonam distinctionem quaeritur: Utrum quilibet sacerdos possit uti clave quam habet, in quemlibet hominem.

Et arguitur quod sic. Quia potestas clavium in

(x) *questionem*. — *conclusionem* Pr.

(6) Vide, in secunda conclusione, responsionem quam dat huic argumento S. Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 3, art. 4, q. 2, ad 4^{um}.

sacerdotes descendit ex illa Domini auctoritate, qua dixit (Joan. 20, v. 22 et 23): *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sed illud indeterminate dixit de omnibus. Ergo habens clavem potest ea uti indifferenter in quemlibet.

In oppositum arguitur. Quia, in Decretis, caus. (x) 16, q. 1 (dict. Grat. ad can. 19), dicitur: *Nulli sacerdotum licet parrochianum alterius absolvere aut ligare*. Ergo non quilibet potest quemlibet absolvere. Ergo, etc.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod in Ecclesia sunt et debuerunt esse claves.

Hanc probat sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 1. Nam, in solutione primæ quæstiuncule, sic dicit: « In corporalibus dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Regni autem cœlestis ostium nobis per peccatum clauditur, et quantum ad maculam, et quantum ad reatum pœnæ. Et ideo potestas, qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. Hæc autem potestas est quidem in Deo et Trinitate per auctoritatem; et ideo dicitur a quibusdam, quod habet clavem auctoritatis. Sed in homine Christo fuit hæc potestas ad removendum hoc obstaculum peccati, merito passionis, quæ etiam dicitur januam aperire; et ideo dicitur, secundum quosdam, habere clavem excellentiæ. Sed quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur, ideo in sacramentis Ecclesiæ efficaciam passionis manet. Et, propter hoc, in ministris Ecclesiæ, qui sunt dispensatores sacramentorum, est potestas aliqua ad prædictum obstaculum removendum, non propria virtute, sed virtute divina et passionis Christi. Et hæc potestas metaphorice clavis dicitur Ecclesiæ, quæ est clavis ministerii. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Quicumque habet potestatem removendi obstaculum claudens ostium regni cœlorum, habet clavem metaphorice dictam. Sed ministri Ecclesiæ sacerdotes habent huiusmodi potestatem. Ergo habent clavem. — Confirmatur per illud quod dicitur Petro, Matth. 16 (v. 19): *Tibi dabo claves regni cœlorum*.

(x) *caus.* — Om. Pr.

Secunda conclusio est quod clavis Ecclesie est potestas ligandi et solvendi, qua iudex ecclesiasticus dignos recipere, indignos excludere debet a regno.

Hanc ponit sanctus Thomas, ibidem, in solutione secundæ quæstionculæ, dicens: « Secundum Philosophum, 2. de Anima (l. c. 33), potentie per actus diffiniuntur. Unde cum clavis sit quedam potestas, oportet quod per actum sive per usum diffiniatur; et quod in actu objectum exprimatur, a quo speciem recipit actus; et modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Actus autem potestatis spiritualis, est ut cælum aperiatur, non absolute, quia iam apertum est, sed ut quantum ad hunc aperiatur; quod quidem ordinate fieri non potest, nisi idoneitate ejus, cui cælum aperiendum est, pensata. Et ideo in diffinitione clavis, ponitur genus, cum dicitur, *potestas*; et subjectum potestatis, cum dicitur, *qua ecclesiasticus iudex*; et actus, scilicet *excludere et recipere*, secundum duos actus materialis clavis, aperire et claudere; ejus objectum tangitur in hoc quod dicit, *a regno*; modus autem in hoc quod *dignitas et indignitas* in illis in quos actus exercentur, pensatur. » — Hæc ille.

Et ibidem, in solutione primæ, sic dicit: « Ad duo, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur; sicut in igne, ad calefaciendum et dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo provenit ei, ideo eadem potestas esse videtur per essentiam, quas sacerdos conficere potest, et qua potest ligare et solvere, si adsit jurisdictio. Nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam calefactivus et liquefactivus. Et quia nihil aliud character ordinis sacerdotalis est quam potestas exercendi id ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur, oportet quod sit idem quod spiritualis potestas. Ideo character, et potestas conficiendi, et potestas clavium, est unum et idem per essentiam, sed differt ratione. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Cujuslibet potestatis recte assignatur diffinitio per actum, et objectum actus, et modum proprium agendi. Sed diffinitio potestatis ecclesiasticæ, que dicitur clavis, assignatur illo modo. Ergo recte assignatur.

Tertia conclusio est quod sacerdos non potest uti clave sue potestatis in quolibet hominem.

Hanc ponit sanctus Thomas, dist. 19, q. 1, art. 3, in solutione primæ quæstionculæ, ubi sic dicit: « Ea que circa singularia oportet operari, non eodem modo omnibus competunt. Unde sicut præter generalia medicinæ præcepta oportet adhibere medicos,

quibus præcepta universalia medicinæ singulis infirmis, secundum quod decet, aptentur; ita in quolibet principatu, præter illum qui universaliter præcepta legis tradit; oportet esse aliquos, qui ea singulis, secundum quod decet, adaptent. Et, propter hoc, etiam in celesti hierarchia, sub Potestatibus, que indistincte præsent, præponuntur Principatus, qui singulis provinciis distribuuntur; et sub his Angeli, qui singulis hominibus ad custodiam deputantur. Unde et ita esse debet in prelacione militantis Ecclesiæ: ut apud aliquem esset prelacio indistincte in omnes; et sub hoc essent alii, qui super diversos distinctam potestatem acciperent. Et quia usus clavium requirit aliquam prelacionis potestatem, per quam ille in quem usus clavium exercetur, efficitur materia propria illius actus; ideo ille qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest uti clavibus in quolibet; illi autem qui sub eo distinctas potestates accipiunt, vel acceperunt, non in quolibet possunt uti clavibus, sed in eos tantum qui eis in sortem venerunt; nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sunt sacramenta deneganda. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione primæ argumenti, sic dicit: « Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas: scilicet potestas ordinis, et potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas est aequaliter in omnibus sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo ubi Dominus, secundo loco, Joan. 20 (v. 22 et 23), dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate que consequitur ordinem; unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata, Matth. 16 (v. 19); ut intelligatur quod ipse præ aliis habet potestatem jurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnes absolvendos. Et ideo indeterminate Dominus dixit (Joan. 20, v. 23): *Quorum remiseritis peccata*, etc.; intelligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet, supposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Nullus habens distinctam et restrictam potestatem in militante Ecclesia, potest uti tali potestate indistincte in quolibet illius Ecclesiæ, sed solum in aliquem, et in aliquem non. Sed multi sacerdotes habentes clavem ecclesiasticam, sunt hujusmodi. Ergo, etc.

Quarta conclusio est quod sacerdos potest absolvere et ligare penitentem secundum proprium arbitrium divino instinctu regulatum, aliter non.

Hanc ponit sanctus Thomas, dist. 18, q. 1, art. 3, in solutione quartæ quæstionculæ, dicens: « Sacer-

dos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente. Et ideo dicit Dionysius, in fine *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* (cap. 7, III, § 7), quod sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis quomodo divinitas eos moverit. In ejus signum, Matth. 16 (v. 17), ante potestatem clavium Petro traditam, fit mentio de revelatione divinitatis ei facta; et, Joan. 20 (v. 22), præmittitur potestati remissionis Apostolis datæ Spiritus Sancti donum, quo filii Dei aguntur. Unde, si quis præter istum motum divinum uti sua potestate præsumpsit, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit (ibid.); et, præter hoc, a divino ordine averteretur, et sic culpam incurreret. Et quia pœne satisfactoriæ infligendæ ut medicinae sunt, sicut medicinae in arte determinatæ, non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita pœne satisfactoriæ in canone determinatæ, non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut autem medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne, propter debilitatem nature, majus periculum oriatur; ita sacerdos, divino instinctu motus, non semper totam pœnam quæ uni peccato competit, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœne desperet, et a pœnitentia totaliter decidat. » — Hæc ille.

Ex quibus potest argui pro conclusione sic: Nullum instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente. Sed sacerdos, ligando et solvendo, se habet ut instrumentum respectu Dei. Ergo, etc. — Item: Medicina in arte determinatæ, variandæ sunt secundum arbitrium medici conformantis se scientiæ. Sed sacerdos est medicus. Ergo, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scoti. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra secundam conclusionem arguit Scotus (dist. 19, q. 1), probando quod non sint idem character sacerdotalis et claves ecclesiæ.

Primo (x). Quia ille potestates sunt distincte, qua-

(x) *Primo.* — Om. Pr.

rum una potest esse sine alia. Sed potestas conficiendi corpus Christi, sive character sacerdotii, potest esse sine illa quæ includitur in clavibus. Ergo, etc. Minor probatur. Quia sic fuit in Apostolis in coma, cum dicebatur eis (Luc. 22, v. 19): *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi data est potestas conficiendi Eucharistiam; sed non potestas clavium, usque post resurrectionem, Joan. 20 (v. 23), dicente Christo: *Quorum remiseritis peccata*, etc.

Consimiliter videtur posse argui de quolibet sacerdote nunc ordinato. Prius enim dicit Episcopus ordinando: *Accipe potestatem conficiendi vel celebrandi missam tam pro vivis quam pro defunctis*, dans ei calicem; et, quibusdam interpositis, ponit manum super caput ejus, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittantur eis*. Unde videtur quod quilibet sacerdos prius tempore accipit potestatem conficiendi quam absolvendi. Ergo est alia et alia. Et istud probat quod non tantum distinguitur a characterē, si character est aliquid unum, immo quod sunt distincte potestates inter se.

Tertio. Quia character non potest esse nisi relatio. Relatio autem non potest esse eadem ad plures terminos. Sed corpus Christi verum, vel mysticum, et consecratio hujus, et absolutio illius, sunt distincti termini. Ergo illud quod est relatio ad consecrationem, non est idem cum potestate ad absolutionem.

Quarto arguit quod sint duæ claves simpliciter secundum essentiam; et quod possunt, de potentia Dei absoluta, ab invicem separari. Sicut enim aliquis nunc præsidens potest alteri committere auctoritatem cognoscendi in causa, non committendo sibi auctoritatem sentiendi in ea, utpote si diceret: *Committo tibi auctoritatem examinandi causam istam, et referas mihi, ut sententiam*; posset etiam conferre auctoritatem sentiendi, sine auctoritate cognoscendi, ut si sic diceret: *Committo tibi ut sine omni cognitione causæ sententies, sicut placebit*; talis tamen commissio non esset ordinata alicui ejus voluntas esset obliquabilis. Ita etiam (x) posset committere Deus auctoritatem cognoscendi, sine auctoritate sentiendi; et esset ista commissio ordinata simpliciter, si esset etiam (y) in humanis. Posset etiam Deus (z), de potentia (δ) absoluta, alicui non habenti voluntatem non obliquabilem, committere auctoritatem sentiendi, sine omni cognitione causæ. De potentia autem ordinata, sive de facto, utrumque committitur cuilibet sacerdoti. — Hæc Scotus, informa.

(x) *etiam.* — nunc Pr

(y) *esset ista commissio ordinata simpliciter, si esset etiam.* — ista commissio, si esset ordinata simpliciter Pr.

(z) *Deus.* — Om. Pr.

(δ) *Dei.* — Ad. Pr.

§ 2. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM.

Argumenta Durandi. — Contra tertiam conclusionem arguit Durandus (dist. 19, q. 2), volens probare quod, absolute loquendo, de sacramento pœnitentiæ, circumscribendo omnem ordinationem Ecclesiæ, quilibet sacerdos potest quemlibet absolvere.

Et ejus ratio prima est : Quia, concurrentibus ad sacramentum quæ sunt de necessitate sacramenti, et debita dispositione suscipientis, verum est sacramentum, et suscipiens recipit omnem effectum sacramenti. Sed, circumscribendo a sacramento pœnitentiæ ordinationem Ecclesiæ, quilibet sacerdos est debitus minister; et confessio peccatorum est debita materia; forma autem debita, est absolutio, qua dicitur, *Absolve te*, etc.; confitens autem, si sit pœnitens, est sufficienter dispositus ad suscipiendum tam sacramentum quam effectum sacramenti. Ergo, his concurrentibus, non solum est verum sacramentum, sed etiam suscipiens recipit omnem effectum sacramenti. Major patet. Minor clara est quantum ad materiam et formam sacramenti; sed dubium est quantum ad ministrum et dispositionem recipientis. Et, quantum ad hoc, probatur sic : Quia quod non quilibet sacerdos sit debitus minister, nec quilibet peccator pœnitens sit sufficienter dispositus ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ et ejus effectum a quolibet sacerdote, non potest dici nisi quia pœnitentia est sacramentum judiciale, et ideo requirit quod ejus minister sit sacerdos jurisdictionem habens, et quod judicandus sit ei subditus; quod non invenitur in quolibet sacerdote respectu cujuslibet peccatoris. Sed hoc non cogit. Quia, etsi pœnitentia sit sacramentum judiciale, tamen est voluntarium. Unde sacerdos, qui est iudex in sacramento pœnitentiæ, magis est arbitrarius, de voluntate partium assumptus, quam habens jurisdictionem de se super partes, eis invitis, vel altero eorum invito. Cum enim iudicium pœnitentiæ agatur inter Deum et hominem, constat quod ex parte Dei sacerdos est iudex voluntarie assumptus, qui sibi fecit sacerdotes mediatores et arbitros inter se et homines. Et idem est ex parte hominum : quia, quantumcumque sacerdos sciret peccatum pœnitentis, nisi ipse pœnitens voluntarie illud exprimeret, et exponeret se iudicio sacerdotis, non posset sacerdos judicialiter agere cum eo quoad forum pœnitentiæ. Ergo ubi peccator voluntarie se subiecit jurisdictioni sacerdotis, assumens eum quasi arbitrum, quem Deus prius assumpsit ad hoc, videtur quod ille sit verus iudex, et homo verus subditus, quantum pertinet ad tale iudicium. Sed hoc potest facere quilibet peccator respectu cujuscunque sacerdotis, circumscrip-ta omni ordinatione Ecclesiæ. Ergo tunc quilibet sacerdos est verus iudex; et quilibet peccator confitens, vere pœnitens, est ei subjectus vere, vel subditus.

Confirmatur sic : Quia Papa nulli est subditus, nisi quatenus voluntarie se ei subiecit. Ex jure enim divino, nulli subiecit, sed omnibus præest. Ex jure vero humano, nulli potest subijci; quia canonum statuta Papam non ligant, sicut nec leges Imperatorem, ut notatur, Extra, *de Constitutionibus*, cap. 1, in Glossa. Ergo cum subijciat se alteri in foro pœnitentiæ, necesse est quod sufficiat subiectio quæ fit ex mera voluntate.

Item, hoc idem patet ex alio, sic : Quia Papa non potest se subijcere jurisdictioni alterius quoad forum contentiosum. Unde non potest committere alicui quod excommunicet eum, nisi ejus sententiæ paruerit; quia talis jurisdictio involuntaria est quoad subditum, et ex alterius voluntate dependet. Et sic esset in jurisdictione fori pœnitentiæ, nisi esset mere voluntarium.

Quarto sic : Quia, si ex ordinatione divina minister sacramenti pœnitentiæ est sacerdos habens jurisdictionem, tunc in casu extremæ necessitatis non posset quilibet sacerdos quemlibet peccatorem absolvere : quia nulla necessitas mutat ministrum a Deo institutum; unde, sicut in extrema necessitate nullus potest sacramentaliter absolvi nisi a sacerdote, eo quod sacerdos est minister institutus sacramenti pœnitentiæ, sic nullus posset absolvi nisi a sacerdote habente jurisdictionem, si talis jurisdictio requireretur ad ministrum ex institutione Christi. Tenet autem Ecclesiæ quod in casu necessitatis quilibet sacerdos potest quemlibet peccatorem de quolibet peccato absolvere; nec etiam forte posset contrarium ordinare.

Quinto, Quia, dato quod minister sacramenti pœnitentiæ sit sacerdos habens jurisdictionem, idem sequitur : Quia consuetudo dat jurisdictionem; sed tunc fuisset consuetudo quod quilibet absolveret quemlibet a quolibet; ideo, etc. Sic ergo quilibet sacerdos poterat absolvere quemlibet ei volentem confiteri, sicut olim iudices chartularii omni homini se eis subijcanti jus dare poterant, non alii. — Hæc Durandus, in forma.

Postea vero probat alias duas conclusiones. Quarum prima est, quod per ordinationem Ecclesiæ congrue factum est quod non quilibet possit absolvere quemlibet. Secunda est, quod Ecclesiæ, hoc faciendo, nihil mutat de essentialibus in hoc sacramento. Sed istæ conclusiones non militant contra beatum Thomam; sed pro ipso; ideo probationes illarum non recito.

§ 3. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scoti. — Contra quartam conclusionem arguit Scotus (dist. 19, q. 1), probando quod sacerdos non habeat potestatem arbitrandi.

Primo. Quia nulli committitur potestas arbi-

trandi in aliqua (x) causa, cujus arbitrium nunquam erit rectum propter quaecumque diligentiam possibilem adhiberi ab ipso, sed tantum a casu, vel per miraculum speciale. Sed, per quaecumque diligentiam possibilem adhiberi a sacerdote, non potest ipse pertingere ad illud indivisibile pœnæ, quo Deus judicat peccatorem esse dignum. Si ergo contingat, hoc erit a casu, vel per miraculum speciale. Ergo non habet aliquam auctoritatem arbitrandi.

Secundo. Quia non est verisimile quod Deus dederit Ecclesiæ potestatem arbitrandi, sic quod ipse voluerit arbitrium Ecclesiæ ratificare, et tamen quod impossibile sit eam recte arbitrari, sic ut ratificetur, nisi a casu, vel per miraculum speciale.

Tertio. Quia nullus constituitur arbiter inter partes, sub hac conditione quod præcise arbitretur ad voluntatem unius partis; et hoc maxime quando non potest determinate nosse voluntatem illius partis. Sed, in iudicio pœnitentiæ, partes sunt Deus et peccator, inter quos est sacerdos arbiter. Ergo non ligatur præcise ad arbitrandum illam pœnam quam Deus sibi infligeret, maxime cum non possit sibi constare de voluntate Dei quoad hoc præcise, ut est membrum Ecclesiæ.

Quarto. Quia, si sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulum majorem quam correspondeat peccatis, non est probabile quin pœnitens teneatur eam implere. Ergo, si aliquantulum pœna sit minor condigna, videtur sufficere: nam si non sufficeret aliqua (z) citra illam punctalem quam dictat divina iustitia, ergo non oporteret explere aliquam ultra illud punctale divinæ iustitiæ. — Hæc Scotus, in forma.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et ideo ad objecta Scoti contra secundam, dicitur quod minor primi argumenti falsa est. Nec valet probatio ejus. Quia dicitur quod Apostolis non est data alia potestas in cœna, et alia post resurrectionem, ut in argumento dicitur. Sed eadem potestas erat, quæ primo dabatur in ordine ad primum et principalem actum, scilicet conficiendi Eucharistiam, et secundo dabatur ad actum secun-

darium, scilicet solvendi et ligandi: sic scilicet, quod accipientes illum characterem, per illum poterant instrumentaliter cooperari, ante resurrectionem, ad primum actum super corpus Christi verum, non autem ad secundum actum, qui est super corpus mysticum; sed, post resurrectionem, poterant cooperari instrumentaliter ad utrumque actum; quia principale agens, scilicet Christus, sic disposuerat aliter coagere eis ante resurrectionem, et aliter post. Nec sequitur quod sit alia et alia potestas instrumentalis: quia eodem instrumento potest faber ad diversos effectus, secundum diversa tempora, diversimode operari. Ad hunc sensum intelligo sanctum Thomam, 4. *Sentent.*, dist. 24, q. 2, art. 3, in solutione secundi, ubi sic dicit: « Dominus dedit discipulis sacerdotalem potestatem quantum ad principalem actum, ante passionem, in cœna; quando dixit (Matth. 26, v. 26): *Accipite et manducate*; unde subjunxit (Luc. 22, v. 19): *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed, post resurrectionem, dedit eis sacerdotalem potestatem quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere. » — Hæc ille.

Ad secundum patet responsio per idem. Dicitur enim quod tota essentia characteris et potestatis sacerdotalis imprimitur in ipsa calicis porrectione; sed non datur sibi tunc quoad omnem ejus actum, sed solum quoad primum et principalem; postea vero datur sibi quoad actum secundarium; ut dicit sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 24, q. 2, art. 3, ad 2^{um}).

Ad tertium dicitur quod tam major quam minor sunt falsæ. Major quidem: quia character non est purus respectus, sed absolutum cum respectu. Minor etiam falsa est: quia, ut visum fuit, 3. *Sentent.* (x); eadem relatio realis, est ad plures terminos, sicut eadem filiatione homo refertur ad patrem et ad matrem.

Ad quartum dicitur primo, quod argumentum bene probat quod Deus posset dare alicui potestatem quoad unum illorum actuum de quibus fit sermo, non dando ei potestatem quoad alium actum; sed non probat quod de facto ita sit. Sicut Deus produxit aliquam substantiam quæ est intellectiva et non sensitiva, et aliam quæ est sensitiva et non intellectiva; tamen, cum hoc, produxit tertiam, quæ est sensitiva et intellectiva. Sic in proposito. Conceditur tamen quod, licet illa potestas sacerdotalis sit una et eadem quoad essentiam suam absolutam, implicat tamen diversos respectus ad diversos actus, vel effectus, ad quos ordinatur. Et de hoc vide sanctum Thomam, dist. 18, q. 1, art. 1 (q^{ta} 3), quomodo sunt duæ claves, et quomodo una.

Et hæc sufficiant ad objecta Scoti.

(x) aliqua. — alia Pr.

(z) sufficeret aliqua. — alia Pr.

(x) Cfr. 3. *Sentent.*, dist. 7 et 8, q. 1, art. 3, § 1, 1, ad 6^{um} et ad 7^{um}.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad objecta contra tertiam conclusionem nunc dicendum est. Sed antequam ad singula deveniamus, præmittenda sunt quædam universalia præambula, ex dictis Petri de Palude. Dicit enim sic (dist. 19, q. 2) : « Ad evidentiam quæstionis hujus, sciendum est quod unusquisque de eo quod suum est potest facere quod vult; quia in sua re quilibet est moderator et arbiter. Et nihil tam naturale est, quam voluntatem domini servare, volentis rem suam in alio transferre. Unde, quia de contractibus vel quæstionibus (α) homines non compelluntur litigare coram iudice, nisi velint, sed possunt eligere arbitros, vel inter se componere, sicut volunt; quo facto, prætor raturum habere debet hoc, nec habet eos ad respondendum coram se citare; propter hoc, de talibus possunt se submittere cuicumque iudici volunt, habenti jurisdictionem in alios (ut Aurelianenses consentire in iudicem Parisiensem, prorogando jurisdictionem (β) illius in seipsos) (γ), et tenebit sententia, quasi a suo iudice in subditos lata, vel etiam in iudices chartularios, qui nullum subditum habebant, nisi volentes se eis submittere. Si autem est aliquid de quo homo teneatur, velit nolit, ipse, vel actor, vel accusator, coram iudice determinato respondere, sicut de feudo, vel delicto de quo invitus accusatur (δ) coram alio iudice, remittitur ad iudicem loci delicti. Unde de talibus non potest actor et reus in extraneum iudicem consentire, nisi de licentia ipsius iudicis cui in hoc subditi sunt. Et, propter (ε) hoc, clerici, qui speciali modo subditi sunt iudicibus suis, non solum in delictis, sicut cæteri, sed etiam in contractibus, nec possunt renuntiare privilegio fori, non (ζ) possunt se alieno iudici submittere, prorogando ejus jurisdictionem, nisi de licentia Episcopi cui sunt subjecti. Cum ergo, ex ordinatione Christi, omnis anima christiana subdita sit Petro, de illis in quibus ei subdita est, sine licentia ejus, alii subdere se non potest. Ex quo autem post passionem Christi homo mortaliter peccavit, et post baptismum suum, tenetur ad arbitrium Petri satisfacere, cui dictum est (Luc. 17, v. 3) : *Si peccaverit in te frater tuus, etc.* Unde de peccato mortali, sine licentia et ordinatione Petri, non licuit alteri confiteri. Similiter, ligatus majori vel minori excommunicatione non potest seipsum, solvere; est autem commissus Petro in omni-

bus in quibus indiget ab alio solvi; ergo in istis non potest se alteri subdere. Sed de peccato veniali potest homo per seipsum, sine Petro et quocumque alio sacerdote, seipsum solvere. Similiter de mortali de quo semel est absolutus. Unde, nisi ordinatio Ecclesie sit in contrarium, quilibet sacerdos potest absolvere quemlibet sibi volentem confiteri, a quolibet veniali, et mortali de quo alias est absolutus: quia de his nulli homini est obligatus; et ideo de his potest se submittere quibus vult, non solum curatis et aliis habentibus populum, sed etiam simplicibus sacerdotibus nullum subditum alias habentibus; nisi quod, si sunt religiosi, sine assensu prælati nihil tale debent agere; sed, si agerent, nihilominus absoluti essent, quia concurrerent essentialia sacramenti. De mortali autem nondum confesso, de quo tenetur satisfacere Petro, non video quod sine ejus licentia possit se alteri subdere: sicut homo de franco allodio potest se cui vult submittere; non autem de feudo de quo jam alteri homagium fecit, nisi de ejus assensu, vel salvo jure ejus. Unde, si homo vellet alieno sacerdoti confiteri, cum intentione (α) nihilominus confitendi proprio, et satisfaciendi ejus arbitrio, videtur quod posset eum alius absolvere; sicut dicit Raymundus (β), quod alienus poterat absolvere, ponendo spem in ratihabitione proprii sacerdotis. — Et quod dicunt illi de contraria opinione, quod, si quis alieno confiteretur, esset verum sacramentum; — Contra: quia a non suo iudice sententia lata non tenet. Et similiter, si a suo de casibus retentis, quia in tantum est non suus; sed, postquam est absolutus a superiore, a quocumque vult de illis absolvi potest, per rationem dictam. » — Hæc Petrus, et bene.

Et addit (ibid.) quod « Deus a principio, Ecclesie præfecit Petrum curatum, dicens (Joann. 21, v. 17) : *Pasce oves meas, etc.*, et (Matth. 16, v. 19) : *Tibi dabo claves regni cælorum, etc.* Unde, sicut modo, sine licentia curati cui commissa est cura hujus parochie in diœcesi, non licet alteri confiteri; sic nec tunc, postquam fuit necessaria confessio, sine licentia Petri. Immo, sicut modo Cardinalibus non licet confiteri sine licentia Papæ, sic nec tunc Apostolis sine licentia Petri, de jure communi; licet libertas non habeat legem. Et licet omnes Apostoli fuerint immediate a Christo ordinati sacerdotes in die cænæ, quando dixit eis (Luc. 22, v. 19), *Hoc facite in meam commemorationem*, tamen non in episcopos, nisi Petrus cui soli dictum est (Joan. 21, v. 17) : *Pasces oves meas*. Et de Paulo quidem, qui tunc non erat discipulus, certum est. Beatus etiam Jacobus primus ab aliis consecratus est Hierosolymorum episcopus. Et quamvis omnes Apo-

(α) contractibus vel quæstionibus. — contractibus vel quasi Pr.

(β) a verbis in alios usque ad jurisdictionem, om. Pr.

(γ) seipsos. — seipso Pr.

(δ) accusatur. — accusatus Pr.

(ε) propter. — per Pr.

(ζ) non. — nec Pr.

(α) intentione. — interjectione Pr.

(β) S. Raymundus de Pennaforte, Summa de Pœnitentia, lib. 3, tit. de Pœnitentiis et remissionibus.

stoli essent facti episcopi a Christo, sicut aliqui dicunt, tamen ab eo Petrus vocatus est Cephass, quod est caput. Unde in Evangelio primus Apostolorum dicitur, et aliis semper praeferitur: quia voluit Christus habere unum vicarium, et Ecclesiam unum caput, unius capitis vicarium, a quo ceteri tenerent quicquid haberent; sicut rex dividens regnum vult secundogenitos a primogenito tenere, ita ac si ab illo recepissent, quamvis omnes aequae immediate a rege accipiant portiones. »

Tunc ad primum Durandi, respondet Petrus (ibid.) quod, « nisi peccator vellet, nullus eum absolvere posset; sed non convertitur, quod sua voluntas sufficiat in eo quod suum non est, ut supra dictum est. »

Ad secundum, « dicitur quod Papa ideo subiecit se cui vult, quia cura illius nulli est commissa determinate, ad cuius arbitrium habeat satisfacere, sicut cura omnis christiani commissa est Petro, per cuius manum oportet transire in regnum, sicut per manus Christi, qui hunc vicarium dereliquit. Unde, si Petrus mortaliter peccasset, tenebatur confiteri. Et quia nulli erat specialiter obligatus, ideo de omnibus quibus sibi Christus commiserat potestatem absolvendi, libertatem habebat eligendi. Et habet successor ejus, qui nulli subest, et pari ratione potestatem habet. — Et per idem patet ad tertium. »

Ad quartum respondet, dist. 20, q. 1, dicens: « quod in mortis articulo quilibet possit absolvi a quolibet sacerdote, hoc est jure divino: quia, licet christianus peccans mortaliter, sit obligatus de hoc satisfacere ad arbitrium Petri, vel sui vicarii, hoc intelligitur quando potest habere arbitrium Petri, vel sui vicarii; aliter non, quia tunc esset obligatus ad impossibile. Quia tamen vi clavium absolvi debet, ideo illius auctoritate quem invenit, qui claves habet, solvi potest. Item, hoc est auctoritate juris: quia hoc Papa committit etiam in casibus quos sibi reservat, quod (α) in mortis articulo quilibet sacerdos absolvit quemlibet a quolibet peccato. »

Ad quintum dicit (dist. 19, q. 2) quod « consuetudo non praedjudicat juri divino. Unde, cum de jure divino esset quod omnis christianus de peccato mortali habeat satisfacere Petro, vel ejus vicario, contraria consuetudo, si fuit, non valuit. Unde et bene dicitur, *de Pœnitentiis et Remissionibus*, cap. 2, in Sexto (β), quod *nulla consuetudo potest introduci, ut quis sine licentia proprii sacerdotis sibi valeat eligere confessorem*. Quia, si hoc esset respectu inferioris proprii sacerdotis, vel Episcopi, quod est de jure positivo; non tamen respectu Papæ, quod est de jure divino. Sed quia a principio

Ecclesiae non eligebantur nisi boni, et specialiter a Christo electi, non erat periculum; et voluntas Christi erat, et Petri, qui non querebant nisi salutem animarum, quod omnes boni, quales sciebat esse illos qui tunc erant, ita possent absolvere, sicut ipse (α). Noverat enim Paulum ita bene usurum sicut se; et ideo voluntas Petri erat Paulum aequae uti; et similiter alios bonos. Sed cito apparuit quod (β) sicut unus de electis a Christo fuit diabolus, et de septem diaconibus unus fuit Satan, multo magis de sequacibus futurum erat; ideo voluerunt quod non quilibet quemlibet, sed divisim. Et dividerunt Paulo et Barnabae Gentes, et ipsi in circumcissionem; non sic autem quod Petrus per hoc perderet (γ) potestatem, qui et postea transiit ad Gentes, nulla nova potestate sibi data, prima sibi reservata. Unde, etc. » — Haec Petrus, et bene.

Ex quibus patet quod nova Durandi adinventio non valet. Quod etiam ipsemet confitetur, dicens (dist. 19, q. 2): « Secundus modus est, quod non quilibet absolvi potest a quolibet, non solum propter ordinationem Ecclesiae, sed propter ordinationem Christi. Et hic modus apparet mihi pro nunc verior. Quia Christus soli Petro tanquam pastori commisit curam et regimen totius sui gregis, ut habetur, Joan. ult. Sed potestas clavium ordinis in ligando et absolvendo in foro poenitentiae, et potestas jurisdictionis in ligando vel absolvendo in foro contentioso, est in Ecclesia solum propter curam et regimen ovium Christi, id est, omnium christianorum. Ergo ad solum Petrum pertinuit, et ad solum successorem Petri pertinet, jure suo sibi a Christo collato, uti utraque clave in quemlibet christianum; et nulli alii, nisi ex commissione Petri, vel successorum, vel ex (δ) dissimulatione usus quem scit nec reprobatur.

« Et ideo ad primum argumentum alterius opinionis, dicendum quod forus poenitentiae voluntarius est, non solum ex parte sacerdotis, quem Deus voluntarie fecit ministrum, sed etiam ex parte confitentis, qui voluntarie dicit peccatum suum. Sed non est voluntarius quantum ad hoc quod quilibet possit prohibito eligere sibi sacerdotem qui absolvat eum: quia nullus potest eum absolvere, nisi cui commissum est a Christi vicario, mediate vel immediate, directe vel indirecte.

« Ad secundum dicendum quod aliud est de Papa, et aliud de ceteris christianis. Quia claves ordinis, quantum est de se, extendunt se ad absolutionem ab omni peccato, respectu cujuslibet personae, ut patet ex verbis dictis omnibus Apostolis (Joan. 20, v. 23), *Quorum remiseritis peccata*, etc., in quibus nulla fit exceptio de personis vel de pec-

(α) quod. — quia Pr.

(β) de Pœnitentiis et Remissionibus, cap. 2, in Sexto. — de Pœnitentia, cap. 2 Pr.

(α) noverat. — Ad. Pr.

(β) quod. — quia Pr.

(γ) perderet. — perdat Pr.

(δ) ec. — ejus Pr.

catis. Tota autem restrictio est ex speciali commissione facta Petro de regimine universalis Ecclesiæ. Illa autem commissio fuit de omnibus aliis a Petro, scilicet de omnibus commissis curæ et regimini Petri, et non de Petro. Et ideo extendit se ad oves Petri, id est, ad omnes christianos, præterquam ad Petrum et ad ejus successorem. Et ideo Papa successor Petri non subjacet illi restrictioni, quin possit absolvi a quolibet habente clavem ordinis, prout eligere voluerit.

« Ad tertium, inquit, dicendum est quod non est simile de clavibus ordinis et de clavibus jurisdictionis. Quia effectus clavium jurisdictionis transit in invitum; effectus autem clavium ordinis non transit nisi in voluntarium. Papa autem non habet nec habere potest judicem cui submittatur invitum; nec, per consequens, potest se submittere alicui quantum ad jurisdictionem quæ de natura sua potest ferri in invitum. Sed effectus clavium ordinis de se extenditur ad omnes, nisi sint exempti per privilegium Petri; quod non militat contra Petrum, quia solum est de ovibus subjectis Petro, et non de ipso. Propter quod Petrus potuit, et successor ejus potest subijcere se cui voluerit, quantum ad usum clavium ordinis in foro pœnitentiæ, etc.

« Ad quartum, inquit, dicendum est quod ex ordinatione Christi est quod oves Petri non regantur nec subsint curæ vel regimini cujuscunque, nisi ex commissione Petri, mediata vel immediata, directa vel indirecta. Semper autem sedes Petri voluit quod in articulo mortis quilibet sacerdos non præcisus ab Ecclesia posset quemlibet absolvere a peccatis, in absentia illius ad quem cura regulariter pertinet. Et si nollet, in illo casu nihilominus posset, non obstante privilegio Petri, quod non fuit ei datum ad destructionem, sed ad ædificationem, cum fuerit ei datum ad pascendum oves. Unde in illo casu cessaret privilegium Petri, et staretur primæ ordinationi Christi de potestate clavium ordinis, quæ se extendit ad omnem peccantem et ad omne peccatum. Nec casus necessitatis mutaret ministrum (α), sed ordinatio Christi, qui in tali casu non dedit Petro privilegium. » — Hæc Durandus, in forma, et bene, et conformiter sancto Thomæ, 4. *Sentent.*, dist. 20, q. 1, art. 1, q^{la} 2, in solutione primi, ubi sic dicit: « Aliquis potest uti jurisdictione alterius ex ejus (β) voluntate: quia ea quæ jurisdictionis sunt, committi possunt. Unde, quia Ecclesia acceptat ut quilibet sacerdos absolvere possit quemlibet in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis usum jurisdictionis habet, quamvis jurisdictione careat. » — Hæc ille.

Sed, ibidem, in principali solutione secundæ quæstiunculæ, videtur contradicere omnibus supra-

dictis, et quasi declinare ad opinionem Durandi prius improbatam. Ait enim sic: « Quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata. Sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesiæ habet jurisdictionem limitatam, vel nullam omnino habet. Sed quia necessitas legem non habet, ideo, quando articulus necessitatis imminet, per Ecclesiæ ordinationem non impeditur quin absolvere possit, ex quo claves habet, etiam sacramentaliter; et tantum consequitur ex absolutione alterius, sicut si a proprio sacerdote absolveretur. Nec solum a peccatis potest tunc absolvi, sed etiam ab excommunicatione, a quocunque sit lata: quia hæc absolutio etiam ad jurisdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Ecclesiæ coarctatur (α). » — Hæc ille. — Ex quibus prima facie videretur quod ex sola ordinatione Ecclesiæ est quod non quilibet sacerdos possit quemlibet absolvere, et quod, illa ordinatione sublata, quilibet potest absolvere quemlibet, ex potestate ordinis a Christo collata. — Sed dicendum est quod sanctus Thomas non intendit quod illa restrictio solum sit per ordinem Ecclesiæ, sic quod nullo modo sit ordinatione Christi. Quod patet. Tum quia, ut recitatum est in probatione tertiæ conclusionis, ipse ponit, dist. 19, q. 1, art. 3, q^{la} 1, in solutione primi, quod Christus, licet omnibus Apostolis dederit potestatem remittendi peccata, tamen cum hoc intellexit quod usus illius potestatis deberet esse præsupposita potestate Petri, secundum illius ordinationem. Item, dist. 24, q. 3, art. 2, q^{la} 3, in solutione primi, sic dicit: « Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen, ut in hac potestate ordo aliquis significetur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere. Propter quod etiam ei dixit singulariter (Lucæ 22, v. 32), *Confirma fratres tuos*, et (Joan. 21, v. 17), *Pasce oves meas*, id est (δ), *loco mei*, ut dicit Chrysostomus (γ), *præpositus et caput esto fratrum, ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent et confirmant*. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod illa ordinatio, qua institutum est quod non quilibet sacerdos possit quemlibet extra casum necessitatis ab omnibus peccatis absolvere, sed solum secundum arbitrium Petri, vel ejus successoris, non solum est ordinatio Ecclesiæ, sed Christi.

(α) ordinationis Ecclesiæ coarctatur. — ordinationi Ecclesiæ contrariatur Pr.

(δ) id est. — in Pr.

(γ) Hæc in Chrysostomo non occurrunt.

(α) ministrum. — ministerium Pr.

(δ) ejus. — Om. Pr.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra quartam conclusionem, dicitur, negando minorem. Et ad probationem, dicitur quod peccat per fallaciam consequentis, arguendo negative ab una causa veritatis ad propositionem habentem plures causas veritatis. Nam arbitrium sacerdotis in iudicando et imponendo pœnitenti pœnam satisfactoriam, dupliciter esse contingit rectum. Primo modo, quia attingit pœnam cuius est adæquate debitor pœnitens secundum iudicium Dei; et sic conceditur quod arbitrium sacerdotis non potest hoc modo esse rectum, nisi casu, vel per miraculum speciale. Secundo modo, quia attingit pœnam quæ in hoc seculo expedit pœnitenti secundum iudicium Ecclesiæ; et hoc modo arbitrium sacerdotis in tali materia potest esse rectum sine casu et sine miraculo, considerando regulas Patrum et dispositionem pœnitentis.

Ad secundum patet per idem : quia non est impossibile Ecclesiam recte arbitrari sic ut arbitrium sit dignum ratificari apud Deum, ut argumentum false supponit, sicut præcedens.

Ad tertium, negatur minor. Quia licet sacerdoti non constet de voluntate Dei, quantam pœnam vult infligere pœnitenti; potest tamen sibi constare quantam pœnam est sibi in hoc sæculo expediens. Et hoc sufficit ad rectum arbitrium.

Ad quartum dicitur quod, si sacerdos imponat pœnitentiam maiorem condigno, pœnitens tenetur eam implere, si possit, in hoc sæculo; sed in alio sæculo non exigitur quod totam exsolvat. Et similiter, si imponat minorem condigno, non exigitur quod maiorem exsolvat hic; sed in alio sæculo exigitur. Omnes prædictas solutiones ponit sanctus Thomas sententialiter, dist. 20, q. 1, art. 2, in solutione secundæ quæstiunculæ, ubi sic dicit : « Actus ministri bonus vel malus nihil diversificat in efficacia sacramentorum. Unde, sive sacerdos discrete se habeat in injunctione pœnitentiæ, sive non, nihil diversificatur quantum ad efficaciam absolutionis, confessionis et contritionis. Et ideo, sive discrete pœnitentiam injungat, sive non, semper manet reatus ad pœnam ejusdem quantitatis. Et ideo, si eam hic non explet, ab eo in purgatorio exigitur. » — Hæc ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit : « Pœnitens cui major condigno pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat, sed peccato remedium adhibet. Unde post hanc vitam non exigitur ab eo tota, sed solum quantum sufficit ad debitum solvendum. » — Hæc ille. — Item, in solutione tertii, sic : « Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, non semper peccat. Tum quia non potest determinate quantitatem debitæ

pœnæ cognoscere; quamvis aliquid proprie, consideratis regulis Patrum, determinate possit. Tum quia quandoque etiam ex industria minorem pœnam imponens, plus prædest pœnitenti quam noceat, qui forte, propter magnitudinem pœnæ, posset a pœnitentia peragenda impediri, propter debilitatem virtutis adhuc de novo in eo recuperatæ; et ideo negligit minus damnum, ut evitet majus; et iterum paulatim confortatus in eo divinus amor, ad plura opera pœnitentiæ peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam sacerdos sibi secundum quantitatem peccatorum injungere potuisset. » — Hæc ille. — Et plura alia dicit in eodem articulo, ad confirmationem dictarum solutionum facientia. Ex quibus patet quod ad rectum arbitrium confessoris non exigitur quod semper imponat pœnam condignam pœnitenti, sed sufficit quod injungat quantam expedit ei pro nunc, consideratis regulis Patrum et dispositione pœnitentis (cujus oppositum arguens putabat); et quomodo omnia argumenta fundantur in isto paralogismo fallaciæ consequentis, scilicet : *Sacerdos non potest recte arbitrari quoad hoc; ergo non potest recte arbitrari ullo modo.*

Ad argumentum pro quæstione (α) responsum est in probatione (ε) tertiæ conclusionis (γ).

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XX

QUÆSTIO I.

UTRUM PER INDULGENTIAS POSSIT ALIQUID REMITTI DE PœNA SATISFACTORIA

CIRCA vigesimam distinctionem 4. *Sententiarum* quæritur : Utrum per indulgentias possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

Et arguitur quod non. Quia hoc ad potestatem excellentiæ pertinet, ut sine sacramento effectus sacramentorum tradatur. Sed nullus habet potestatem excellentiæ, nisi Christus. Cum ergo satisfactio sit pars sacramenti, operans ad dimissionem pœnæ debitæ, videtur quod nullus purus homo possit dimittere debitum pœnæ sine satisfactione.

In oppositum arguitur. Quia Ecclesia generalis non potest errare; quia ille qui in omnibus exau-

(α) quæstione. — conclusione Pr.

(ε) probatione — responsione Pr.

(γ) Cfr. etiam ea quæ dicta sunt art. 3, § 2, circa finem.